

Q.19 .er. D

1563,38

MEMORIAM

VIRI

EXCELLENTISSIMI ATQVE AMPLISSIMI

IOANNIS CHRISTOPHORI
DOMMERICHII

LOG' ET METAPH' IN ACADEMIA HELMST'

PROF' P' O'

CAESAR' REG' ACADEMIAE BOBORETANAE ITEM

SOCIETATIBVS LATIN' IENENSI ET TEVTONICIS

REG' GOETTING' ET PRINCIP' HELMSTAD'

ADSCRIPTI

A' D' XXVIII MAII MDCCCLXVII

DEFUNCTI

PRORECTOR ET SENATVS

ACADEMIAE IVLIAE CAROLINAE

CIVIBVS ET POSTERITATI

COMMENDANT

HELMSTADII

EX TYPOGRAPHEO VIDVAE SCHNORRIAE

1790 oogr. erud.

22/1563, 38

Math. Erud. Sing. Vol. 20

1781

JOHANNES CHRISTOPH
DOMMERTH

1781
DIE GOTTESDIENTLICHE
VEREINIGUNG
ZUR
VERBESSERUNG
DER
GOTTESDIENTLICHEN
VEREINIGUNG
ZUR
VERBESSERUNG
DER
GOTTESDIENTLICHEN
VEREINIGUNG

VEREINIGUNG
ZUR
VERBESSERUNG
DER
GOTTESDIENTLICHEN
VEREINIGUNG

VEREINIGUNG
ZUR
VERBESSERUNG
DER
GOTTESDIENTLICHEN
VEREINIGUNG

VEREINIGUNG
ZUR
VERBESSERUNG
DER
GOTTESDIENTLICHEN
VEREINIGUNG



Varias Philosophorum sectas et appellationes in principio operis sui recensens **DIOGENES LAERTIUS**, quosdam eorum memorat uocatos esse *εὐδαιμονιστῆς*. Ea re inducti sunt quidam eruditi, ut crederent, fuisse aliquos sapientes ueteris memoriae, qui singulare studium consequendae inter homines felicitatis profiterentur, seque adeo doctores philosophiae eudaemonicae uenditarent

At percensenti ueterum sapientum placita nullum facile reperiatur philosophiae antiquae genus, quod non, tanquam finem, propositam habeat aliquam felicitatem.

A 2

Hoc

Hoc enim illud est, quod omnibus uotis expetunt homines, quo omni ope, cogitatione, studio, conmituntur, ut tandem aliquo modo beati esse possint, nec philosophi, qui salubria et frugifera generi humano docere cuperent, aliud agere potuerunt, quam uiam ostendere assequendi boni, cuius possessione beati sibi homines uiderentur. Qui inter hos paullo melius philosophati sunt, dixerunt sitam esse felicitatem in tranquillitate mentis, et commotiones animi, quae eam perturbent, domandas ac ratione comprimendas esse, ut mentem laceffere ne possint. Sectam uero, quae propterea eudaemonica appellata sit, nullam reperimus. Unus tantum ex omni memoria philosophus est, Anaxarchus, quem cognomen eudaemonici tulisse, AELIANVS, LAERTIVS, alii tradunt. Sed num is sit Anaxarchus, qui felicitatem philosophicam promiserit, mox uideamus

LAERTIVS tradit, gessisse eum nomen eudaemonici *δια την ἀπαθειαν και εύκολιαν τῆ βίῃ*. Iam *ἀπαθειαν* quidem, quae hic tribuitur Anaxarcho, Philosophi uocant illam ab angoribus aliaque mentis affectione uacuitatem, quo quasi propugnaculo munitum animum dicunt esse in tranquillo, eoque beatum. Huius autem tranquillitatis mirum documentum in Anaxarcho ueteres demonstrant. Dicunt enim a Nicocreonte, Cypriorum tyranno, hoste suo, captum et in mortario ferreis pistillis contusum, immane supplicium adeo spreuisse, ut illuserit etiam tortori suo. Testes sunt Graeci Latinique, Christiani etiam, scriptores complures. Egregium uero *ἀπαθειας*, imo inuicti animi specimen, si per omnia exploratum et sincerum esset. Sed de ueritate facti aliquantum addubites, si aetatem testium, quorum nullus Cicerone antiquior est, famam item ambiguam consideres, quum idem sup-
plici-

plicium, quamquam insolens et fere incredibile, LAERTI-
 vs etiam Zenonem Eleaten a Nearchō tyranno subiisse
 referat. Et rei ipsius fidem si nolis sollicitare, minime
 tamen e tolerantia supplicii ueram animi eius tranquilli-
 tatem colligas. Qui enim placidum existimare possis,
 quem legas capitales cum Nicocreonte inimicitias exer-
 cuiisse, ut mensae Alexandri una cum eo adhibitus, huius
 aperte necem exposcat, et flagrantissimam adeo in hoste
 suo ultionis, immani supplicio explendae, cupiditatem
 accendat. Ipsum supplicium minime tranquillo animo
 sustinuit, quum nulla ui potuit inhiberi, quo minus tor-
 torem suum amarissimis maledictis, ut VALERIVS MAXI-
 MVS testatur, inuicem ipse torqueret

Sed fortasse nomen eudaemonici Anaxarchus magis
 promeruit facilitate uitae morumque, quam ad animi
 tranquillitatem addidisse memoratur. Eam quidem affa-
 tim exercuisse apud Alexandrum M. uidetur, quem eo
 tempore, quo fortuna sua elatus neminem ferre seueri-
 us monentem poterat, libere corripuit, et arrogantiam
 regis, diuinum affectantis fastigium, teste AELIANO ET
 ATHENAEO, falsis saepe facetiis lusit. Idem tamen adhae-
 rere Alexandro eiusque epulis pasci solitus, uidetur deli-
 cias uitae et lautio rem cultum parasitico assentandi studio
 quaesisse, et Democriti, cuius e disciplina prodierat, *εὐ-
 θυμίας* imitatus, felicitatem suam in aulicae affluentiae
 gustu, et in hilaritate, ioco saepius excitanda, posuisse.
 Quam tamen felicitatem fictam plane et adumbratam, et
 a leuitate arrogantiaque animi magis, quam constantia
 philosopho digna, profectam, nemo est, quin uideat

Anaxarcho igitur nomen eudaemonici, quod uirtu-
 te tam parum meruit, falso potius et per iocum tribu-

A 3

tum

tum existimamus. Neque ideo a moribus eius ratio illius nominis petenda uidetur, ubi pluribus illud philosophis attributum legimus. LAERTIVS eudaemonicos appellatos esse refert ἀπὸ διαθεσεων, hoc est, ab ingenii animique facultatibus, quibus beatiore sibi uel aliis uidebantur. Ad has enim, quas Graeci uocant, διαθεσεις referuntur, ut SVIDAS exponit, cum scientiae et artes, tum uirtutes animi, quibus si quis ingenium animumque feliciter excultum perfectumque habet, optimo iure εὐδαιμων uel εὐδαιμονικος appellatur. Ipsum scilicet animum hominis ueteres philosophi subinde δαιμονα nuncuparunt, et Socrates daemonem sibi assistere iactitans, qui se assidue de rebus necessariis moneret, suum ipsius animum prouidum et sapientem creditur designasse. Vnde APVLEIVS arbitratur, εὐδαιμονας dici beatos, quorum daemon bonus, id est, animus uirtute perfectus est. Philosophos igitur, qui singulari ingenii acumine, in perspicendo uero sagacitate, et in declarando sollertia praestare uiderentur, eudaemonicos appellatos credibile est, eaque interpretatio nominis hoc minus debet aliena uideri, quod sequiore aeuo doctores philosophi insignes simili elogio decorari consueuerunt, quum μακαριοι et μακαριωτατοι dice-
rentur

Nos huius elogii excellentia altius in sui contemplationem trahit, efficaciusque inuitat, ut talem nobis Philosophi eudaemonici speciem informemus, qualem amplitudo eius nominis permittat, qualemque in primis cum hominis Christiani persona coniunctam esse cupiamus. Huc uero animo conuersi eum esse reperimus, qui non solum praeclaris animi dotibus beatus, ingenio ad exquirendum uerum sagaci, et iudicio in aestimandis rebus sollerti polleat, sed etiam his ipsis sobrie recteque

ita-

utatur. Etenim bona mens est, quae nomen eudaemonici philosopho conciliare possit, quae seuerè incorrupteque iudicat, nihil ambitioni aut libidini animi indulget, rectum ubique sanae rationis usum sequitur, ita quidem, ut in rebus diuinitus cognoscendis, ubi uideat aciem rationis deficere, locum det fidei et religioni. Hoc scilicet caput est officii eius, qui sobrie et incorrupte, hoc est, feliciter philosophari uelit, ut quod ratione possit debeatque peruestigari, in hoc penitus peruidendum omnem mentis aciem acerrimumque studium intendat, in aliis uero rebus, quae uideat modum ingenii, suis finibus circumscripti, excedere, reprimat rationem et in ordinem redigat, humanaeque imbecillitatis memor, et religioni obsecutus, satius putet, pie nonnulla credi, quam arroganter ac nequicquam perscrutando, in dubium et incertum reuocari. Neque uero ad officium boni philosophi feliciter obeundum sufficiat animus ad iudicandum promptus et circumspectus, sed habeat etiam ueritatis inueniendae et propugnandae subsidia omnia et adiumenta parata, iungat acumini eruditionem, collectasque uariae doctrinae copias, et prisca recentiorisque aevi scientiam teneat, hasque opes ingenii augeat cumuletque meditatione et labore indefesso. Sic probe instructus ille, quanto sollertius existimabit ac promptius, tanto ad disserendum erit paratior, incisisque dubitationum neruis, non minus propugnacula falsi disturbabit, quam praesidia constituet ueri, grauissimas pulcherrimasque res ueritate elegantiaque orationis expediet, confirmabit, uincet, et saluberrimae ubique doctrinae lumen explicabit beati ingenii, felicitis industriae, prosperrimae famae philosophus, hoc est eudaemonicus

Exci-

Excitauit hanc in animo nostro Philosophi imaginem memoria doctoris Academici, quem nuper amissimus, IO. CHRISTOPHORI DOMMERICII, Log. et Metaph. P. P. O. in quo cum iudicii in perspicientia ueri singularem sollertiam, uariae eruditionis ubertatem, elegantiamque ingenii, auditionibus publice habendis, librisque in uulgus editis demonstratam, cognouimus, tum saniori philosophiae asserendae et declarandae felicem ab eo operam nauatam statuimus. Documentum eius laudis haud postremum dedit eo libro, quem suorum operum supremum paullo ante mortem prodire iussit, qui *de Scepticismo* inscriptus peruenit ad manus nostras eo ipso tempore, quo de memoria DOMMERICII, posteris ex more commendanda, cogitamus. Hunc uero libellum conscribit ille, sobriae solidaeque philosophiae studio adductus, quod eam uidet a multis nostrorum temporum hominibus, qui sibi sapientes et uere eudaemonici uidentur, fere negligi atque contemni, adeo ut pro doctrina solidis superstructa fundamentis genus differendi inducatur infinite loquax et nugatorium, quod non argumentorum pondere doceat, sed scintillis sententiarum et ieiunis ratiunculis ludens uellicet et calumniatur omnia in dubitationemque adducat. Hinc exortum Scepticismum, ait, ingenia nostrorum hominum quasi pestilenti fidere afflasse, omni eruditioni solidiorique doctrinae perniciosum. Esse enim hodie quam plurimos queritur, quibus antiqua fere omnia et seuera fordeant, qui praegestientis ingenii leuitate et innouandi studio abrepti, nec tamen a disciplinarum subsidiis satis ad iudicandum instructi, temere conentur rationes rerum optimarum et sententias longa aetate, diuturno usu et doctissimorum hominum iudiciis confirmatas, impugnare, idque agant operosa diligentia et infinita reprehendendi libidine, ut fundamen-

ta

ta doctrinae profanae iuxta ac sanctioris conuellant, ingenia imperitorum peruertant, sibi uero acutioris ingenii doctrinaeque praestantioris gloriam uenentur. Sic Noster, dum scepticismum eo libello, quasi hostem uerae eruditionis, proffigat, ipse se philosophum probe animatum ostendit, qui cognitionis humanae fundamenta uerique praesidia et norit accurate et omni studio tueatur, fines rationis et religionis discernat, sua cuique doctrinae firmamenta accommodet, et ueritati sine ambitione inferuiens sincerum ubique, sobrium et incorruptum philosophandi genus sequatur

Scimus quid honori Professoris Philosophi multis ingenii doctrinaeque ornamentis, et praeclaris hanc in Academiam meritis spectatissimi, quid etiam memoriae coniunctissimi quondam Collegae debeamus. Itaque non ad morem Academiae tralatitium, sed ad officium meritis eius honori debitum, referri uolumus, quod referendis uitae studiorumque eius rationibus, quoddam ueluti monumentum nomini eius excitare aggredimur. Lucem aspexit IO. CHRISTOPH. DOMMERICHIUS Buckeburgi, urbe comitatus Schaumburgici primaria, die XXV. Decembr. A. R. S. MDCCCXXIII. Pater eiusdem nominis, qui Erfordiam patriam agnoscebat, Buckeburgi primum officio procuratoris causarum in tribunali aulico agendarum functus est, mox autem operam suam iudicio ecclesiastico addixit, ut eius a libellis et commentariis esset. PAVLLVM DVMERICIUM, quondam mathematicum et graecae linguae professorem in Academia Erfordensi, subdubitabat Noster an propter similitudinem nominis inter maiores suos referre deberet. Matrem tamen suam HEDVIGEM SOPHIAM OTTILIAM, patre GEORGIO BERNHARDO GEISLINGERO, scholae
B
Bucke-

Buckeburgicae Reſtore, genitam, memorare ſolebat genus ducere a REINHARDO BACKIO, Theologo ſuperioris ſaeculi et ſacerdote eccleſiae Magdeburgenſis in re publica ſacra et litteraria non incelebri

Prima liberalis doctrinae rudimenta priuatim ab ipſo patre accepit. Deinde cum maiore eius ſtudio traheretur, in ſchola patria nactus eſt magiſtros fideles, et in poliendis ingenii nauos, NICOLAVM BÜTTNERVM et CONRADVM HENRICVM KNEFELIVM, quorum fide industriaque in bonis litteris multum profecit, adiutus ingenio, quo pollebat, docili, miraſque diſcendi cupiditate. Sic mature honeſto ſcientiae incremento auctus, quum annum aetatis ſeptimum et decimum impleſſet, ad altiores diſciplinās animum adiecit, et in Academiam Halenſem demigravit. Ibi auctores ducesque ſtudiorum delegit in linguis Orientis interius pernoſcendis KNAPPIOS, MEIEROS, MICHAELIS, in philoſophia iterum MEIEROS, in Matheſi LANGIOS et KRÜGEROS, in ſanctiore denique diſciplina BAUMGARTENIOS. Auditionum Academicarum interualla ſcholasticis praeceptionibus diſpunxit, quas iuuenturi teneriori, ſuſceptis praeceptoris in paedagogio Halenſi muniis, quotidie imperiebāt, praeclarum acuendi ingenii firmandaeque doctrinae adiumentum ratus erudiendi docendique exercitacionem. Decurſo ſtrenue curriculo Academico, in quo haud plus triennio conſumſit, an. MDCCCXLIV in patriam reuertit, conditione luculenta inuitatus, qua liberorum Generoſiſſimi Cancellariae Praeſidis DE LEHENNER ſtudiis moribusque regendis praeficiebatur. Inter haec DOMMERICHIUS uaria agitare ſtudia, multa in dies meditari, aliqua etiam ſcripto exarata in lucem publicam emittere, ſuumque promere ingenium, unde magis inclarereſce-

rescere, et studia hominum mereri, praecipue autem Illustissimi Comitis ALBERTI WOLFGANGI in se gratiam conuertere coepit. Hic enim anno huius saeculi XLV munus tradendae nobilibus ephelis paedagogii aulici matheos ei demandauit: a societatis eruditis Ienensi Latina, et mox Teutonica Goettingensi honos ei consortii delatus: denique a ciuitate Buckeburgica muneri habendarum in sacris matutinis concionum admotus est. Nec parum iam crescere existimatione et fama apud exteros coeperat, quum emissis uarii argumenti lucubrationibus, agitatisque cum quibusdam doctis uiris controuersis, opinionem ingenii et doctrinae sparsisset. Itaque fiebat, ut SERENISSIMVS BRVNOCENSIVM DVX, cognita DOMMERICHII praestantia doctrinae, doctorem eum publicum Academiae suae Iuliae Carolinae esse uellet, et Adiunctum Ordinis Philosophici constitueret. Quod munus ut ex more et legibus Academiarum rite ingrederetur, honores in philosophia summos d. IX Iulii MDCCCXLVIII ab ordine Philosophico suscepit, et defensa publice disputatione, qua sibi ius docendi uindicaret, ipsam mox prouinciam, habita oratione adituali *de superandis philosophiae moralis studii impedimentis*, auspicatus est

Hunc locum, quamquam multo ingenio et alacri ad omnia studio ornare uidebatur, tamen non admodum diu tenuit. Visum est enim SERENISSIMO PRINCIPI anno uertente lautiore eum loco constituere, et scholae Ducali, quae Guelferbyti floret, praeficere Rectorem, ita tamen ut honorem titulumque Academici officii ante gesti retineret. Ad diem IV Martii anni MDCCCXLIX sollemni oratione *de utilitate ex doctore Academico in scholas redundante* nouum scholae regendae munus adiit, quod quidem retrahere eum e spatio Academico, quod ante

spectauerat, uidebatur, haud minorem tamen campum ei
 aperuit explicandi ingenii, amplificandae eruditionis et
 de re litteraria bene merendi. Etenim cum ipsi multi-
 plicis usus doctrinae in uaria iuuentutis institutione adhi-
 bendus erat, tum se occasiones dabant haud raras, qui-
 bus selecta argumenta scripto exponere, sui que nominis
 et scholae, quam regebat, famam proferre posset. Ipse e
 studiis et exercitationibus scholae usum capere uisus est
 doctrinae suae magis poliendae et exornandae, quod,
 quum antehac elegantioribus litteris tantum tribuisset stu-
 dii, quantum per rationes alias licuisset, nunc per op-
 portunitatem perfunctionis scholasticae uersandis studio-
 sius prisci aevi monumentis, elegantiorisque litteraturae
 fontibus, eum ingenio doctrinaeque suae cultum indu-
 xit, qui in scriptis eius relucens Philosophum elegantem
 aequae ac acutum proderet. Per idem fere tempus, quo
 gymnasii Guelferbytani rectionem suscipiebat, defereba-
 tur ei professio Mathematicae Logicae et Metaphysicae in
 Academia Rintelensi obeunda, quam tamen rationibus
 sat grauibus ductus consultum putabat renuere. Fiebat
 interim accessio honoris, quum an. MDCCCLIV Subprior
 coenobii Riddagufani constitueretur. Decennium omni-
 no in munere scholastico exegit, Rectoremque eum se
 gessit, qui et amplissimam doctrinam, qua locum suum
 ornaret, et sollertiam indefessam in studiis moribusque
 iuuentutis regendis, et humanitatem denique in amore
 collegarum sibi deuinciendo, abunde omnibus approba-
 ret. Nec facile munus illud permutaturus alio uideba-
 tur, in quo eum tractatio litterarum humaniorum periu-
 cunda retinebat, unde nec sacerdotia amplissima, quae
 ei Magdeburgi et Brunswigae offerebantur, cupiebat am-
 bire. Sed propendebat tamen in Academiam, quam
 olim reliquerat, ubi locupletatam adhuc multo instru-
 mento

mento doctrinam conferre ad ornamentum Academiae, ipseque paullo ampliores materias laudis inuenire posse uidebatur. Notae erant SERENISSIMO PRINCIPI dotes et merita DOMMERICHII, et uacante cum maxime Logices et Metaphysices docendae prouincia, huic eum praeficere et redonare adeo Academiae uolebat. Decessit igitur scholae regimine, in eoque successorem habuit Virum elegantissimae doctrinae, et nominis inter humaniorum litterarum uindices dudum celebrati, IAC. FRIDERICVM HEVSINGERVM, qui etiam discedenti nouum munus collegarum nomine gratulaturus, perpulchra commentatione uersus quosdam Horatianos, qui principio Satirae X a quibusdam editoribus ponuntur, ab aliis autem refecantur ut spurii, genuinos esse nec Horatio indignos, ex interioribus litteris latinis demonstrabat.

Rediit Noster in Academiam mense Aprili anno MDCCCLIX, et die secundo Maii Professor Philosophiae ordinarius in Senatum Academicum, et deinceps in Ordinem Philosophicum introductus est, orationem autem aditalem, qua simul docendi munus auspicaretur, et fortunae suae amplificatori, SERENISSIMO PRINCIPI, officium deuotissimae pietatis persolueret, in ipso Huius sollemni Natali, Calendis Augusti, habuit, *de cathedra-riis Philosophis* ex loco quodam Senecae praefatus. Qua sollertia, assiduitate et existimatione per octo hos annos, quos in munere professorio exegit, docuerit, et alia obierit munia, recenti cuiusque nostrum memoria constat. Assiduus in habendis praelectionibus, et quam plurimis in rebus Academiae iuuentutis studiis inseruire cupiens, non solum logicas et metaphysicas scholas frequenti auditorum coetu per singula semestria continuauit, sed alias etiam eruditionis partes, quibus philosophiae studium

uel iuuari uel ornari possit, exposuit pluribus horis. Quae consueti ordinariique labores sibi reliqua fecissent tempora, commentationibus uarii argumenti stilo exponendis edendisque impendebat, ut otii sui eruditi publice rationem redderet, unde haud exigua scriptorum editorum series enata est, e quibus laboriosum aeque ac doctum uirum agnoscas. Ea enim uarietas doctrinae et diuersitas argumenti inest, ut intelligere possis, nullum humanioris diuiniisque doctrinae genus ab eius scientia plane alienum fuisse. Numerus autem scriptorum pro aetate, quam exegit Noster, tam insignis est, ut multorum in pari aetate diligentiam superasse uideatur. Vberiore horum libellorum recensione, argumentis eorum, et factis de quoque eruditorum iudiciis, commemorandis, quoniam nostrae scriptionis angustia non permittit, breuem tantum eorum indicem subiiciemus. Illam tamen qui desiderauerit, huic facile satisfaciet Vir **Celeberr. IO. CHRISTOPH. STRODTMANNVS**, qui parte quinta commentariorum, quos *Nouam Europam Eruditam* inscripsit, enarrandis iis honori **DOMMERICII** factis prospexit

Praesidium Ordinis Philosophici bis sua uice, et semel pro Decano gessit. Anno **MDCCCLXI** ab Academia Caes. Reg. Roboretana, a societate item, quae hic floret, Teutonica socius allectus est. Magistratum Academicum, quum eodem anno ei deferendus esset, modeste recusauit, grauiorem suis humeris, nondum periti fati rerum Academicarum, caussatus: iterum tamen ex ordine redeuntem hoc anno recepturus erat, nec ingressus est, quum eo ipso die, quo litterae **SERENISSIMI PRINCIPIS**, hoc ei munus confirmantis, allatae essent, e uuis excederet. Ad rem domesticam Nostri quod attinet,
duo


duo contraxit matrimonia, e quibus tamen nullos liberos tulit. Anno MDCCCL d. XX Ianuar. uxorem duxit CHRISTIANAM GERTRVDEM, Viri maxime reuerendi M. FRIDERICI GOTTLIEB BREITSPRACHII, Magdeburgensis ecclesiae ad D. Iacobi Pastoris meritissimi, filiam, eximii decoris uirginem, in cuius suauissimo consortio quantum leuamentum uitae habuit, tantum ex eius praematura et inopinata morte uulnus accepit. Nam anno sequente dum domo abest, Magdeburgum profectus, fit interim, ut uxor, quae uterum gerebat, subitis partus dolofibus oppressa, nec tamen excludere foetum ualens, inter ipsos nixus die XXVII Nouembr. fato tristissimo exspiraret. Casu tam acerbo perculsus, uix mitigare sensum doloris inde percepti potuit, rem tamen familiarem nouo putauit matrimonio fulciendam, quod anno huius saeculi LII die VII Dec. cum Virgine ornatissima SOPHIA SCHAEFFERA, AVGVSTI GVILIELMI SCHAEFFERI, Senatus ecclesiastici Ducalis a commentariis interioribus, filia unigena contraxit. Haec liberalissime educata, et gustu quodam litterarum imbuta quum esset, eam docto uiro sociam uitae dedit, cuius in conuictu ipse fateretur occupationum suarum taedia longe commodius, quam alia omni sodalitate, leuari. Talem enim habuit, qualem olim in Polla sua Lucanus, in Calpurnia Plinius, quacum subinde meditationum scriptio- numque suarum pericula communicare, quacum orium aut bonorum librorum lectione, aut uarii sermonis iucunditate fallere solet. Sed ut nihil in rebus humanis certum ac sincerum est, ita iucundissimum coniugium morbo Viri beati subito ingruente, et morte necopinata turbatum est. Pluribus quidem abhinc annis infarctu quodam iecinoris, ut medici loquuntur, laborasse uidetur, unde corruptis humori- bus

bus

bus e uitiosa ciborum digestionē, spissiore[m] saepe mu-
cum, quo pectus grauabatur, reiecit. Hoc uitium inua-
lescere mense Maio huius anni, simulque oedema pedum
cum febris lenta accedere, quibus uires corporis breui ita
exhaustae sunt, ut, medicorum opera incassum laboran-
te, magis magisque deficeret, et, uitalibus fortasse subi-
to pituitae humore oppressis, opinione citius exspira-
ret. Decessit, multa ante et pie de beata emigratione e
uita meditatus, die XXVIII Maii, hora circiter octaua
matutina, quo die ex factorum Christianorum rationibus
memoria ascensionis Christi in coelum colebatur. Exu-
uiae eius, quibus leuem terram precamur, in coemete-
rio S. Stephani sunt depositae

Viduae spectatissimae, quam depressam luctu, et
sui quondam praesidii desiderio intime affectam reliquit,
diuinae opis et consolationis fructum longe uberrimum
apprecamur. Vos autem, Ciues carissimi, quos scimus
doctrinam et decora uestri quondam doctoris optime
meriti digna existimatione prosequi, ut Viri beati Mani-
bus deinceps honorem habeatis, eiusque memoriam be-
nigne conferuetis, peramanter nunc hortamur.

P. P. d. XXIII Iulii MDCCLXVII



INDEX SCRIPTORVM

A

IOANNE CHRISTOPHORO
DOMMERICHIO

EDITORVM

-
1. *Einige vernünftige Ursachen von der Beschwerlichkeit bey dem Unterrichts iunger Leute.* Inserta est haec dissert. Vol. IV der Leipziger Belustigungen des Verst. und Witzes, mense Maio 1743
 2. *Von den Ursachen der unanständigen Grobheit.* Legitur ibidem, Vol. V. mens. Octobr. et Dec
 3. *Gedanken von der philosophischen Erkenntnis der Sprachen.* Ibid. Vol. VI. mens. April. et Maio, 1744
 4. *Von den verschiedenen Wegen zu Begriffen zu gelangen.* Ibid. Vol. VII, mens. Iun. 1744
 5. *Betrachtung einer sinnlichen und vernünftigen Gottesfurcht.* Ibid. mens. Sept
 6. *Meditationes philosophicae et theologicae de uera constitutione fidei in Seruatorem, Lemgouiae,* 1744. 8

C

7. Ver-

7. *Vernünfftige Gedanken von den verklärten Körpern bei der Auferstehung.* Vol. VIII der Leipz. Belust. mensē Martio 1745
8. *Sphaerologia, oder kurzer Vnterricht, wie sowohl die Himmels- als Erdkugel beschaffen, und recht zu gebrauchen.* Zum Nutzen der Schulen eingerichtet. Lemgo, 1745. 8, cum fig.
9. *Beweis, dass einem geistlichen Redner eine mathematische Erkenntniß nöthig sey.* Lemgo, 1746, 8
10. *Dissertatio epistolica de aurium iudicio ad stili Romani scientiam admodum necessario, qua almae Societati Latinae Ienensi de eo, quod ipsum sibi socium adiungere uoluerit, gratias agit.* Lemgouiae, 1746. 4
11. *Vernünfftige theoretische Anweisung zur wahren Beredsamkeit, hauptsachlich der Schuljugend zum Besten, und nach demonstrativischer Lehrart aufgesetzt.* Lemgo, 1747. 8
Eiusdem Editio II, Lemgo, 1749, 8
12. *Reflexions sur les principes de la maniere d'enseigner les jeunes gens dans les ecoles.* a Lemgo, 1747. 4
13. *Herrn D. Walchs Abhandlung von dem verschiedenen Geschmack in Predigten. Mit Anmerkungen vermehrt und erläutert. Legitur in den Cappelmanischen Beiträgen zur Beredsamkeit der geistlichen Redner, Part. IV.* Lemgo, 1747, 8
14. *Schriftmässige Prüfung der Lehre von der persönlichen Fürsprache des Heil. Geistes. Mit einer Vorrede H. Job. Ernst Schuberts, von den Wirkungen des Heil. Geistes in den Menschen.* Lemgo, 1748, 4
15. *Schrift-*

15. *Schriftmässige Gedanken von der Anklage des Satans.*
Lemgo, 1748, 4
16. *Consensum in facti alieni imputationem uerum imputationis esse fundamentum probat, atque acroasium suarum in alma Iulia Carolina rationem reddit.*
Helmst. 1748. 4
17. *Dissertatio philosophica de approximatione Dei ad creaturas, omnipraesentiam eius non tollente.* Helmst.
1748. 4
18. *Das liebenswürdige an den Eltern in ihrem Alter, in einem Sendschreiben an die Seinigen über den Tod seiner Mutter.* Helmst. 1748. 4
19. *Leges motuum animae rite inueniendi genuinum modum, ac lectiones sem. hib. habendas indicat.* Helmst.
1748. 4
20. *Commentatio theologica de uera et necessaria Christiani, Theologi atque Ecclesiastae distinctione.*
Helmst. 1748. 4
21. *Dissertatio theologica de foedere baptismali.* Helmst.
1749. 4
22. *Programma de scholis ueterum, earumque cum hodiernis analogia, quo munus Rectoris scholae Duc. Guelferbyt. auspiciatur.* Wolfenbüttelae, 1749. 4
23. *Logica in usum praelectionum.* Lemgouiae,
1749. 8
24. *De officiis Principis circa scholas. Programma in Serenissimi Heri Natalitia.* Wolfenb. eod. 4
25. *Programma funebre in obitum Io. Basil. Hofmanni, Conrect.* Wolfenb. eod. 4

C 2

26. De

26. De officiis scholarum erga Principem. Progr. quo ad orat. adit. noui Contr. inuitat. Wolfenbütt. 1750, 4

27. De Theologo philosopho Academiam utiliter regente. Epistola uotiuua ad Virum Magn. Io. Ern. Schubertum. Wolfenb. 1750, 4

28. De M. Io. Carionis Chronico, epistola ad S. V. Hauberum. 1750, 4.

Altera de eodem argumento epistola legitur in dem gesamleten Briefwechsel der Gelehrten. Hamb. 1751, IX St. ubi Part. XVII ei. a. de Putherbei Theotimo quoque epistola extat.

29. Historia Scholae Ducalis Wolfenbüttelensis. Diatribe I. 1750. 4

30. Eiusdem diatribe II. eodem. 4

31. Das Bild eines grossen Gottesgelehrten. Eine Trauerrede auf den Sel. H. Abt Dreißigmark. ibid. apud Io. Christoph. Meisnerum. 1750. 4

32. Historia scholae Duc. Wolf. Diatribe III, ibid. 1751. 4

33. De morte philosophica disputatio, in obitum primani Io. Christ. Falckii. Wolf. 1751. 4

34. Einige Ursachen, warum der Untergang der schoenen Wissenschaften in unsern Tagen nicht so leicht zu befürchten, als ihre Verachtung bei vielen unvermeidlich ist. Inferta est haec quaestio den Hannoverischen Anzeigen, an. 1751, 69 et 70 St.

35. Betrachtung über die weisen Absichten Gottes bei frühzeitigen Trennungen vergnügter Eben. In praematuram mortem desideratiff. Coniugis. Helmstad. 1751. 4

36. Pro-

36. Programma funebre de Rudiariis, in obitum B. Henr. Bokemeieri, Cant. Wolf. 1752 4
37. *Anvede an seine Zuboerer, welche auf die Aeademie geben wollen.* Wolfenb. apud Io. Christoph. Meisnerum, 1752. 4. Altera huius scripti editio prodit ibid. cum praefatiuncula, 1758. 4
38. De doctorum in uita aeterna splendore ad loc. Dan. XII, 2, 3. Commentatio exegetico dogmatica. Wolfenb. 1752. 4
39. *Betrachtung über die Vortheile, die ein Land von einer tugendhaften Fürstin hat.* Progr. inuit. ad orat. in nuptias auspiciatiff. Regis Daniae et Princ. Brunon. eodem 4.
40. De Chrifteidos Klopstockianae praecipua uenere, prolusio in natalem Sereniss. CAROLI. Wolfenb. eodem. 4
41. *Das Bild einer vollkommenen Vermaelung bei den Grossen dieser Welt. Eine Rede auf die hoechste Vermaelung Sr. Maj. Frid. V. Koen. zu Dännem. mit der Durchl. Prinz. Juliana Maria von Braunschweig.* Wolfenb. 1752. fol
42. *Anmerkungen über die Schrift, die Religion der Vernunft.* Braunschweig, im Verl. des grossen Wayfenh. 1753. 4
43. Exsequias B. Rect. Cordesii scriptura publica honestant musae Wolfenb. 1753 fol
44. *Dass verdiente Schullerer mit Recht koennen unsterblich genant werden.* Eine Trauerrede auf den Sel. H. R. Coordes. Wolfenb. 1753. fol
45. Ad historiam Schauenburgensem ex bibliotheca Wolfenbuttelenfi Analecta. Progr. Wolfenb. 1753 4

46. *Die verschiedenen Verbindungen zwischen den Herzogl. Braunschweig. und Graeffl. Schaumburg. hohen Hausern. Eine Abschiedsrede gehalten von Albr. Carl. Wilb. Colson. Wolfenb. 1753. 4*
47. *Gedanken über das Sprichwort: Ein Prophet gilt nirgend weniger, denn in seinem Vaterlande. Legitur in der Zugabe zu den Hannov. Gel. Anz. 1753, p. 49. seq*
48. *Schriftmaessige Gedanken von der Salbung des Erlösers der Menschen. Halle, apud Christoph. Petr. Francken, 1754. 4*
49. *De Seminario philosophico in ipsis scholis utiliter iam constituendo. Progr. in natalem Sereniss. Heri. Wolfenb. 1754. 4*
50. *Saecularem alteram Pacis religiosae August. memori- am salutariter celebrari, ex saeculi genio common- strat. Progr. Wolfenb. 1755. 4*
51. *Scholae Wolfenburtelensis uindiciae. Wolfenbutt. eod. 4*
52. *De Aurinia et Valeda feminis Germanorum [fatidicis], ad Taciti Germ. c. VIII, exercitatio, in natal. Ser. CAROLI. ibid. 1756. 4*
53. *Beurtheilung der Vorübungen der Dichtkunst des H. Prof. Gottscheds zum Gebrauche der Schulen. Wolf. apud Io. Christoph. Meisnerum, 1757. 8*
54. *Trostschreiben an Se. Hochebrw. H. M. F. G. Breit- sprach, bei dem Verlust ihrer tugendhaften Ehegattin. Wolf. eod. fol*
55. *Gedanken von besserer Einrichtung der Lebensart junger Leute zum Nutzen der Republic. Legitur in den Han- nov. nütz. Sammlungen, an. 1757, 62 St.*

56. Der

56. *Der Christ im Kriege.* Prodiit prima uice in den *Braunsw. Anzeig.* an. 1757, 67, 68 St. Separatim eodem anno excusus libellus Berolini ab Henningio, Reg. typogr. 8
57. *Entwurf einer deutschen Dichtkunst zum Gebrauch der Schulen,* in officina libraria Orphanotrophei. Brunswic. 1758. 8
58. Ad Statii Achilleida ex membranis bibliothecae suae anecdota. Wolfenb. apud Io. Christ. Meisnerum, 1758, 4
59. *Theologisches compendium zum Gebrauch der Schulen.* Halle apud Car. Herm. Hemmerde, 1759. 8
60. Ad locum Plutarchi in Alexandro de Metaphysices praestantia, Progr. quo munus Prof. Log. et Metaph. P. O. in illustri Iulia Carolina auspicaturus lectiones indixit. Helmst. 1759. 4
61. Oratio, auspicatissimo natali Seren. Princ. ac Heri Kal. Sextil. de cathedrariis philosophis, quum munus Professoris auspicaretur, in illustri Acad. Iulia Carol. recitata. ibid. eod. 4
62. Fragmentum codicis Horatii chartae pergamenae cum harum rerum amatoribus communicat. Helmst. eod. 4
63. De hominibus *ισαγγελοις.* Progr. die S. Mich. festo in Acad. Iul. Car. P. P. 1760. 4
64. De *Λογω* Patrum philosophiae fonte. Progr. sacrosanctis Nataliciis ab Acad. Iul. Carol. dicatum. ibid. 1760. 4
65. Vestigia perplexa doctrinae de hominum mediatore apud antiquiores gentium philosophos. Progr. anniuers. die festo natali Iesu Christi in Acad. Iul. Car. P. P. 1761. 4
66. De

66. De *καλιγγενεσια* philosophumena et theologumena.
Sacro anniuers. reditus ad uitam dominici P. P.
1762. 4
67. Primae lineae Didactices scholasticae in usum praele-
ctionum ductae. Wolfenb. et Helmst. apud Io. Chr.
Meisnerum, 1762. 8
68. De fatis Dialectices in Academia Helmstadiensi, Ora-
tio die natali Acad. publice habita. Helmst. 1762. 4
69. Scientia catholica. Progr. stata Pentecoste sacra in A-
cad. Iul. Car. P. P. 1763. 4
70. Hermiae philosophi Gentilium philosophorum irrisio.
Cum annotationibus Hier. Wolfii, Thomae Galei,
Wilh. Worthii suisque, graece separatim edidit. Ha-
lae apud Car. Herm. Hemmerde, 1764. 8
71. *Abriss der Mnemonik.* Legitur in dem Hannou. Maga-
zin zu den Anz. 1764, 19, 20, 21 St.
72. *Die Mnemonik und Hevristik, nach ihren ersten Zügen
entworffen.* Halle und Helmst. apud C. H. Hemmerde,
1765. 8
73. Angelorum humanitas. Progr. ad diem festum Mich.
pie celebr. in Acad. Iul. Carol. P. P. 1766. 4
74. Deus Natalis. Progr. ad natiuitatis domin. sacra reli-
giose celebr. in Acad. Iul. Car. P. P. 1766. 4
75. *Gedanken über den Skepticismus.* Braunsw. und Hildesh.
verl. von sel. Ludolph. Schroeders Erben. 1767. 8



